DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
VULNERIBUS IN CADAVERUM SECTIONE ACCEPTIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS STOKES,

Anglus,

COLL. REG. CHIR. PERMISSUS.

Quæ causa est justissima? TERENT. Ph. iv. 4. 30.
Quod remedium nunc huic malo inveniam? AN. iii. 1. 10.

PRID. CAL. AUG. HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES BREWSTER.

MDCCCXXVI.

DAVIDI HAY, M. D.

COLL. REG. CHIR. EDIN.

PRÆSIDI,

&c. &c. &c.

JACOBUS STOKES, S. D.

Cum me integrum jam quinquennium tibi, Vir præstantissime, ad artis nostræ præclaræ principia atque inventa perdocenda tradiderim, in eo jam sum, ut, quid in his rebus profecerim, palam ostendendum sit. Si quid igitur in hoc tentamine bene recteque constitutum inveneris, quoniam id omne doctrinæ peritiæque tuæ se debet, pronum est ut opusculum, a te quodammodo ortum, tibi inscribam.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VULNERIBUS IN CADAVERUM SECTIONE ACCEPTIS.

In morborum natura investiganda, incumbenti medicinae studio duobus omnino modis uti licet, vel ad phænomena, quæ in laboranti corpore fiunt, respiciendo, vel optimorum auctorum testimonia invicem comparando. Tyroni in disciplina salutifera raro contingit, ex animadversione, cognitionem morborum acquirere; ac si, cæteris felicior, aliquis forte optatis hujusmodi occasionibus fruatur, brevi fit certior, sine aliis auxiliis, in difficultates haud superandas non posse non incurrere. Videt morbos, Protei instar, diversissimas sibi assumere formas, percipit eosdem morbos a causis maximè, ut videtur,

contrariis, atque reperit easdem causas maxime contrarios gignere effectus. Imaginatione uti gaudens theorias condit atque commenta struit evertenda forte experientia, quam dies posterus afferet.

Frustratus, sed non a consilio pulsus, ad difficultates superandas a celebrorum medicorum scriptis opem petit. In his forte nonnullæ ex opinionibus, quas sibi excudit, confirmantur; multa, de quibus in dubio haeserat, aperiuntur, phænomena, quæ omnino in obscuro fuerant, clara fiunt. Novo animi studio iterum ad morbos perscrutandum sese accingit, sed brevi patet auctores, quibus confiderat, haud magis quam seipsum erroribus carere. Accuratior eorum investigatio, maturiori judico peracta, docet, quantis impedimentis ulterior progressus retardetur: manifestum est non modo se objectum esse iis errorum causis, cum quibus cuncti naturæ studiosi plus minus conflictantur, sed necesse esse limitem ponere inter res veras atque medicorum commenta, dignoscere res, quæ firmo et parum mutabili fundamento ni-

tuntur, ab iis, quæ vivida imaginatione creatæ sunt, aut ad aliquam sustinendam opinionem ingenio fictæ sunt. Si ad prima medicinæ tempora respiciamus, certiores fimus alias atque alias theorias, rebus veris prorsus contrarias, continuo ortas esse, neque accuratas opiniones, naturæ phænomenis consentaneas, allatas esse, donec Baconis philosophia homines sententias suas a rebus veris per secula collectis colligere docuisset. Nostris etiam temporibus, ubi fere inter omnes constat, nullo modo, nisi sedula observatione, ad morborum cognitionem assequi posse, vix minus est difficile secernere res veras a theoriis, quas auctores præponere gaudent. Si hujusmodi impedimenta prohibent, ne ad verum attingamus, in morbis, qui quotidie incidunt, quanto magis necesse est ut moram faciant in malis, quæ raro conspiciuntur.

Quum res veræ pauciores sint, quam ut opiniones accuratiores inde deducantur, quum historia, causa atque curatio in magnam veniant disputationem, ne quis miretur si prorsus in errorem incurram in tentando veram natu-

ram proponere vulnerum, quæ in cadaveris sectione oriuntur. Mors virorum ingenio illustrium æque ac multorum in arte medicâ utilium, diligentem atque accuratam investigationem omnium, quæ hanc pertinent ad rem, postulant : et quum videmus viros tanto ingenio præditos, ac ABERNETHY, ASTLEY COOPER, DUNCAN, COLLES, SHAW, et THOMPSON sese accinxisse ad hoc adhuc intentatum opus, haud dubitandum est, quin brevi scientia nostra hac de re haud parum augeatur.

Effectus vulnerum, quæ in cadaveris sectione accipiuntur, sub variis nominibus, descripti sunt, secundum opiniones, quas singuli sibi, de eorum naturâ, finxerunt ; quum vero hæc adhuc sub judice sit, satius erit nomine uti generali, donec licuerit, accuratione idoneâ, locum comperire, quem in nosologia tenere oportet.

HISTORIA.

Qualescunque sint difficultates, quæ usum comitantur, modus quo morborum historiam

investigare oportet, nunc satis in aperto est. Non modo convenit symptomata maxime conspicua proferre, sed totam phænomenorum seriem cognoscere decet, quæ singula præponenda sunt, eo ordine, quo accedunt atque cunctis notis quibus distinguuntur. Boni quoque pathologi est, quantum fieri possit, comperire quemadmodum phænomena alia invicem alia afficiant, atque seipsum certiorem facere de prima mutatione cui omnia aut pleraque cæterorum attribuenda sunt. Cunctæ theoriæ, cunctæ conjecturæ, cuncta commenta, quæ nihil commune habent cum phænomenis, de quibus agitur, sedulo evitanda sunt. Ordo, diuturnitas, aliæque symptomatum notæ accuratius depingentur, quo severius atque simplicius proponuntur; quin et investigatio perfectior erit, atque conclusiones magis solidæ, si animi attentio ad ea adhibita est.

Quum ad accurationem in animo sit aspirare, volo dispositionem sequi, quam Shaw protulit, tum quia videtur excogitata esse ab attenta morbi consideratione, tum quia locum præbet dis-

tinguendis symptomatis, quibus modo idoneo recensitis hæcce dispositio prorsus nititur. Illo auctore effectus vulnerum a cadaveris sectione ad duo capita reducuntur, 1mo. Si orta sunt a partium scrutatione, quæ in putrescentiam abeunt, 2do. Si orta sunt ab corporis sectione ad horas paucas post mortem.*

Symptomata quæ in saevissima primi generis forma accidunt, fere eo oriuntur ordine. Circiter horas duodecim post acceptam injuriam, dolor in vulnere percipitur, quod inspectum circumdari reperitur levi rubore, aliquanto tumoris simul manum afficiente. Dolor brevi fit vehementissimus, tendens per brachium usque ad axillam, in qua potissimum excruciat, et subinde projicit se per pectoralem musculum, usque ad aurem, aut ad occiput. Lineæ rubræ nunc sese extendunt sursum per brachium usque ad axillam ; glandulæ in axilla tumefiunt, simul cum una vel altera glandula super interiorem humeri condylum. Totum brachium magnopere

---

* London Medical and Physical Journal, May 1825.

tumet, præcipue ad superiorem humeri partem, comitante simul inflammationis externæ rubore. Irritatio totius corporis, ad hoc tempus, vehementissima erit, et sæpe sibi assumit morbi inflammatorii aspectum, sæpius typhoideam formam. Diuturnitas horum vehementium symptomatum haud parum variat, sed sub curatione idonea plerumque intra paucos dies inclinantur. Raro quidem fit, ut effectus irritationis a materia putrida orti eo usque ingravescant, ac hic propositi sunt. Multo frequentius nihil aliud est nisi levis rubor, qui per spatium extendens se circa partem læsam resolutione cito terminatur. In nonnullis exemplis absorbentia vasa plane conspici possunt, nullo evidenti cutis affectu, ita ut aspectum partis pulchre sanguine injectæ ostendant. Ad hanc rem illustrandam, liceat proferre juvenis medicinae studio incumbentis exemplum, qui, proximo hieme, cum symptomatis mali primi generis conflictatus est. Vasa lymphatica adeo distincta fuerant inflammatione sursum repente, ut, si licet ejus verbis uti. " You might have given a demonstration

of the lymphatics on his arm." Hoc exemplum etiam sententiam, quam proposuit SHAW, confirmat, quoniam injuriam accepit, in ligamentis perscrutandis putrescentibus. Subinde cutis affectus atque vasorum absorbentium conjuncti videntur existere: aspectus quidem mali atque gradus ejusdem ad infinitum fere variant, donec eam saevissimam inducant formam, quam depingere conatus sum. In hujusmodi exemplo suppuratio, in variis brachii partibus, præcipue vero ad axillam, fere nunquam non incidit. Gangræna et sphacelus enumerari possunt inter terminationes, sed nequeo in memoriam revocare aliquod exemplum, in quo ea inciderint. In exemplo insigni a Doctore DUNCAN edito, sudor colore furvo maximeque fœtido pro crisi habitus est.* Ex paucissimis hujus mali exemplis, quæ in rerum medicorum annalibus edita sunt, jure colligi potest, multo majorem partem eorum etiam exemplorum, in quibus morbus sævissimus erat, prosperum habuisse exitum.

* Med. Chir. Trans. Ed. p. 505, vol. 1.

Quod ad hanc rem attinet maximum intercedit discrimen inter hoc primum genus atque secundum, de quo proximum est ut disseram.

Inter hæc hujus mali genera id in quo differunt maxime, in corporis totius affectione ponitur, quæ affectum non excipit topicum ut in primo genere, sed cuncta, quæ subsequuntur mala, prænunciat. Punctura sive abrasio in cute vel sanescit, vel areolâ circumdatur quæ exiguam humoris sero-purulenti quantitatem continet, citra aliqua levissima etiam actionis vicinæ; et sæpe per totum mali cursum, brachium a digitis usque ad axillam paucas vel nullas notas irritationis ostendit, nullum tumorem, nullum dolorem, nulla inflammata absorbentia. Aliquando vero brachium, in pluribus rubescit partibus, atque nexus inter injuriam primam, atque inflammationem, quæ subsequitur, magis evidens est: qui, in nonnullis exemplis, adeo levis fuit, ut in dubium venierit, an altera alterius causa extiterit. Præcipua inflammationis sedes est axilla, ubi dolor sæpe adeo est vehemens ut indicia summi cru-

ciatus evocet. Dr. PETT dixit se nunquam ante cognovisse, quid esset dolor.* Levior intumescentia, ad claviculam detegitur, quæ brevi se circo extendit, potissimum versus sternum, per latus deorsum, quin et in Professoris DEASE casu et aliis usque ad affecti lateris femur.† Notæ quibus distinguitur hæcce intumescentia sibi plurium auctorum magnam vindicavit attentionem. Pressuræ, Dr. DUNCAN ait, non cedit: sed sensum præbet medium inter resistentem phlegmonis duritiem, cedentem œdematis mollitiem atque vim emphysematis resilientem.‡ Per totum spatium, quod occupat, haud multas vel nullas intensæ actionis notas ostendit, sed aliquantum, supra vicinam cutem, elevatur, diffusa, lævis est, et limites plerumque parum definiti sunt. Vasa cujuslibet generis raro deteguntur, et glandulæ etiam parum affectæ videntur. Notatu quoque dignum est, fere nullum nexum intercedere videri inter

---

* Medical and Physical Journal, Feb. 1823.

† Dublin Hospital Reports, vol. iii.

‡ Med. Chir. Trans. Ed. 598.

hunc affectum et quamlibet cutis inflammationem. Quod quidem cuncta exempla memoriae tradita satis confirmant: multa finita sunt nullo etiam lævissimo, orto rubore, et si quando rubor sese ostenderit, non nisi partium exiguum tumefactarum occupavit spatium. Videretur profecto prorsus secundaria esse affectio, quæ a tela reticulata ad superficiem extenditur propter partium contiguitatem. In exemplis duodus a Doctore COLLES traditis, aliquid tuberculis vesiculosis simile notatur, et symptoma simile in Doctoris BELL morbo accidisse dicitur.* Quæ tamen rara esse videntur, etiamsi ad ultima morbi tempora, vesiculæ nonnunquam observatæ sunt vel pellucido sero vel humore furvo repletæ. Inflammatio secundaria uni corporis lateri plerumque continetur, sed, in raris exemplis, latus alterum implicitum est, non, ut videtur, extensione inflammationis, sed, quasi metastasi, ut, in aliis inflammationibus, observatur. Vehementia totius corporis affectus plerumque

---

* Butter on Irritative Fever.

pro eo est, ut vitium topicum sæviat. Haud raro æger nunquam refici videtur post primum impetum quem morbus in corpore fecit. Pallet vultus, cadaveri similis, summum ostendit cruciatum; spiritus citus laborat, pulsus maxime frequens, exiguus, sæpe irregularis. Lethalis exitus sæpe celeberrime incidit. Dr. PETT post horas 105, Dr. BELL post horas 121 interemptus est. Aliquando natura videtur, quasi luctuari adversus veneni introitum, atque manifestæ excitationis notæ oriuntur, quas tamen nimis sæpe signa magnam virium vitalium depressionem testantia excipiunt magna nausea, vultus anxius atque pallidus, sudores frigidi, animus tristis lethalemque exitum præsagiens. Et profecto symptomata hujusmodi orta nimis crebro hujusmodi eventum denunciant: æger letho aliquando, integris mentis facultatibus, succumbit, sed frequentius sub comate vel delirio extinguitur. Tempus morbi quo mors accedit, haud parum variat, sed plerumque ante dies quatuordecim. In iis exemplis, in quibus symptomata non tantopere ingravescunt, natura cum arte conjuncta sanitatem restituisse videtur, atque medela

adeo perfecta fuit, ut tela cellulosa, quæ corrupta separari solet, restituta sit. Contractiones juncturarum atque musculorum rigiditas, adhæsionibus ortis, sæpius perstiterunt. Aliæ variæ terminationes hujus mali ab auctoribus prolatæ sunt; sed exempla, in quibus inciderunt, adeo rara sunt, ut non necesse sit plura proponere, quam ea quæ maxime insignia sunt. In exemplo uno, digiti separatio, ante mortem, incepit; in nonnullis inflammationes internorum organorum adjectæ sunt brevi lethales; in aliis, sudor profusus, frigidus, viscidus erupit ante secundam mali crisin.

Maxime est dolendum tam raro affectas partes, post mortem, corporis sectione investigatas esse. In cunctis exemplis, quæ hactenus, hoc modo, explorata sunt, tela reticulata ea est structura, quæ maxime malo implicita est, quum ea, in nonnullis locis, sero turgida, in aliis pure distenta reperta sit, necnon alias notas exhibuerit, quæ inflammationem comitari solent. MAGENDIE affirmat venas, in exemplo Professoris LECLER, haud ambiguas inflammationis notas

edidisse.* Si brachium, in Doctoris PETT exemplo, exploratum fuisset, verisimile est aliquam mutationem morbidam, in vasis absorbentibus, in conspectum venturum fuisse. Nervi non adhuc reperti sunt malo impliciti esse. Sed haud absimile est eos aliquando partem mali sustinere: quod forte patebit, quum jam cadavera sæpius explorata fuerint. Hic liceat exemplum tradere non quia aliquid præter solitum ostendit, sed quia exemplorum numerum auget, quæ magis perspicuum reddere possunt modum, quo morbus procedere in corpore solet, cujus historia non adhuc ad plenum exposita est.

I. S. Alumnus SANCTI GEORGII NOSOCOMIO ætatis 21$^{mo.}$ anno die Feb. 19$^{mo.}$ 1825, dum uterum e fœmina post peritonitidem chronicam mortua extrahebat, digitum scalpello vulneravit. Protinus vulnus levare atque exsugere curam adhibuit. Postero tamen die ad vesperam inquietus erat, caput dolebat, noctemque vigilem transegit.

---

* Precis, Elementaire de Physiologie.

Die mensis vigesimo primo ad nosocomium ivit. Tunc dolor ad summum humerum cum angustiæ sensu eum vexabat, qui sese inde extendebat per pectus, caput dolebat. Eam juncturam movere liberaliter nequibat. Nulla vulnerati digiti inflammatio erat, neque aliquam molestiam inde tulit, vel ad id temporis, vel per totum malum, quod accessurum erat; brachium præter solitum, calebat, atque plenitudo aliqua circa summum humerum. Ex levi vulneris natura sibi persuasit malum, quo laborabat, rheumatici generis esse.

℞ Sub Muriat. Hyd.
Pulv. Antim. ā. gr. iii. M.
Fiat pulv. statim sumendus et postea sumat Haust. Senn.

Domum vehiculo missus protinus se ad lectum confugit. Eodem die, dolor ad humerum adeo eum excruciabat, ut arcessiverit Drem. G. GREGORY, cujus domus vicina erat. Colchicum atque opium præcepta sunt, sed nullo effectu commodo.

Feb. 22do.—Dolor intolerabilis perstitit; vultus anxius; pulsus plenus atque validus. Brodie celeberrimus visit atque eo præcepit,

Admovt. Humero affect. Hirud. xiv.
Capt. stat. Calomel et Ext. Colocynth. āā. gr. v.
etiamque injicr. Enema purgans.
Sumt ter indies Haust, Salin. c. Liquor Tart. Antim. m. xv. et H.S. Pil. Hyd. gr. v.

Per noctem haud parva quantitas Tinct. Opii ad dolorem mitigandum exhibita est.

23tio.—Pulsus adhuc plenus atque frequens, impatientia ingens, nequit moveri aut tangi levissimo modo; per totum corpus sensus praeter solitum acutus.

Capt. Haust. Salim. et Pil. Hyd.
Admoveatur Lotio.
Habt. Haust. Sennæ.

21to.—Per noctem potius tranquillus, atque Brachii dolor minus vehemens. Alvus soluta summo mane frequentes atque molestissimi

spumosi muci ructus, quos singultus exceperunt. Pulsus ad 108, lingua albida atque muco tecta ; animus tristis.

Mittatur sanguis ad ℥viii.

Sunt. Liquor Opii Sedativ. gtt. xvii.

ex quibus aliquantum levaminis obtinuit. Per partem hujus diei, dolore dorsi conflictatus est. Ventriculus medicamenta atque cibum rejecit; ad vesperam dolor minus molestus et movere se in lecto potuit; sed vultus pallidus, anxius atque dejectus.

25to. Hilarior erat, sed aspectum morientis ostendit. Brevi symptomata actionis magnopere auctæ in functionibus vitalibus arcesserunt, cum inflammationis signis in organis abdominalibus, ex quibus maximi orti sunt cruciatus. Nihil ea mitigare, modo levissimo, potuit. Ad ducenta Tincturæ Opii minima sumpsit, intra horæ partem tertiam, nullo commodo. Deli-

rium mussitans et stupor advenerunt, et, post plures horas, letho succubuit.

Sectio Cadav.—Suppuratio diffusa, sub musculo pectorali, detecta est, quæ in axillam sese extendit atque plexum axillarem involvit. Inflammationis notæ in intestinis ambiguæ fuerunt, sed præterea nulla morbi signa vel in abdomine vel in thorace manifesta fuere.

CAUSÆ.

Quæ causa proxima hanc inflammationem gignat, in magnam venit disceptationem; et quum curatio æque ac prophylaxis maxime pendeant ab opinionibus, quæ circa hanc rem sustinentur, haud alienum erit paucis de hac re disserere. Quibus igitur causis attribuenda sunt febris atque inflammatio insequens? Anne ortum habent a materia putrida absorpta? Anne ab irritatione in idiosyncrasi, quæ facilè excitamentis afficitur? Anne a viro specifico re-

cepto in corpus? Ex his opinionibus alii aliis favent: et alii uni tantummodo malum attribuunt, alii duabus ex his causis conjunctis. Opinio prima a multis pathologis magni momenti sustinetur, inter quos est RICHERAND,* necnon MAGENDIE; si liceat de illius opinione judicare, ab historiâ quam edidit sectionis corporis, post mortem Prof. LECLER, quam miasmatis putridi absorptioni attribuit. In universum autem hæcce opinio pro vero non habenda est; nam multa jam probavit experientia periculum in iis exemplis, quæ ad secundum genus relata sunt, eo grandius esse, quo citius post mortem cadaver, in quo secando, acceptum est vulnus. Ad rem ita perspectam confirmandam perpauca exempla proferre satis est. Professor MONRO, ita scripsit, "I am fully persuaded, that there is greater risk in examining a body a day or two after death, than after a week or two."†

---

* Nosographie Chirurgicale, tom. i.

† Elements of Anatomy, p 274.

Dr. ADAMS, etiam, in opere suo, de Venenis Morbiferis, "Mr. ABERNETHY assures us that he never dissects the most recent subject without having an ulcer in whatever part of his hands the skin is broken, and frequently without his being conscious of any previous division of the cuticle." Dr. THOMPSON, insuper, in prælectionibus suis de Medicinâ, affirmat, vulnera inter cadaver secandum accepta, quibus ipse sæpe laboravit, semper eo sæviora esse quo recentius fuerit cadaver. Sed quare ad hypothesin prorsus fundamento expertem confugiatur, ad res explicandas, quarum ratio facile redditur diverso prorsus principio. Nonne sæpe videmus symptomata prorsus his jam enumeratis similia orienda a levi aciculi vulnere, aut lanceolæ politæ? Omnes effectus nocivi, qui in hujusmodi exemplis accedunt, uno fere consensu, attribuuntur, proclivitati, ad id temporis, in corpore hærenti, ut afficiatur rebus, quæ prorsus innocuæ esse solent. Si hujusmodi proclivitas corpore inhæreat, satis superque est ut mihi videtur cuncta explicare phænomena quæ sese interdum ostendunt post vulnera accepta

in putrescentis corporis sectione. Si quis roget, cui causæ attribuenda est hæc proclivitas; etiamsi ea vix patet; multa tamen testantur, quantum in corpore valeat. In ea autem re, de qua agitur, aliquatenus saltem ad verum accedimus, quum nobismet reputamus eos anatomiæ studio incumbentes multo magis pronos esse ad hæc mala versus finem hyemis, quo tempore non dubitandum est, quin eorum corpora multo facilius afficiantur causis quæ irritationem gignant.

Quod attinet vero ad causam, quæ proxime creat mala, quæ ad secundum genus relata sunt, maxime inter auctores ambigitur. Ut monstretur, quam verum id sit, non alio opus erit, nisi ut quædam citam ab libris auctorum eorum, qui animum ad hanc rem intendisse videntur. Celeberrimus ASTLEY COOPER in epistola ad Drem. BUTTER ita opinionem suam proposuit. " I am of opinion that irritative fever generally arises independent of absorption of morbific matter, but I have seen two cases of the con-

trary."* Eximius ABERNETHY ita scripsit: "I am led to conclude that the effects of these wounds very much depend upon the morbid predisposition of the parts;" et iterum, "I do not think that there is reason to believe in general, that the animal matter which may be on the instrument acts as a poison."† Dres. DUNCAN, COLLES, et GOOD, contra multo maximam partem potestati specificæ attribuere videntur. Argumenta, quæ proponuntur, iis, qui irritationi simplici favent, minime fidem creant. Affirmant multa vulnera quæ quod ad aspectum attinent, æque simplicia sunt, ac ea quæ inter corporis sectionem accipiuntur, aliquando creasse, causis ignotis, tum localem tum inflammationem diffusam, quam adeo sæva febris sympathetica comitata est, ut exitialis fuerit morbus. Id verum esse nemo negat; sed haud opus est magno nego-

* Butter on Irritative Fever, p. 158.

† Id. lib. p. 206.

tio, ad comperiendum, quantum hæc duo exempla inter se differunt. In exemplo, quod ii proponunt, malum topicum prius est, quod totius corporis affectus sequitur, in exemplo, de quo agitur, febris affectum topicum antecedit, qui sedem habet plerumque non juxta primam injuriam sed prope axillam. Fautores irritationis simplicis jure etiam affirmant juvenes studio infirmatos et medicos plane adversa valetudine, aut animi solicitudine, laborantes, aut nimio negotio fatigatos potissimum ad malum suscipiendum pronos esse. Quemădmodum id explicare oportet? In his atque exemplis similibus vix negari potest, proclivitatem haud exiguam conferre operam ad effectus insequentes creandos; sed facile monstratur eam solam non posse rationem mali reddere, quia in aperto est, hunc morbum ne iis quidem parcere, quibus cunctæ functiones, tum animi, tum corporis ad maximum integræ vigent. Affirmant insuper effectus, si aliquid specificum adesset, perpetuo eosdem fore. Quam falsum id propositum sit, vix necesse est monstrare. Quis recuset aliquod venenum existere, ex eo quod

alterum hominem læsit, dum potestati ejus alius non subjectus fuit? In magnam quoque venit controversiam, quemadmodum virus brevi post mortem gignatur. De hâc re profecto parum notitiæ est, et parum luminis quod per obscurum viam monstret. Attamen etiam, in homine, nonnullæ sunt res parum quidem firmæ, quæ fidem faciunt compositum proprium formari, in nonnullis exemplis, quando vitæ lampas fere in eo est ut extinguatur. Illustris Cuvier affirmat Percy qui per bellum viginti annorum, ad decies centena millia vulnerum curaverat sæpe observasse aliquod, quod illi phosphorescentiæ species esse visum est, e vulneribus effundi in tenebris, præsertim quoties erodebant atque periculosa erant atque vitæ vires fatiscere inceperant.* Quædam animalia marina, insuper, quæ emittendi lucem potestatem habent, eam effundunt tantummodo, usque ad inceptam putrescentiam.† Hæc ex-

* Analyse des Travaux de l'Academie des Sciences de Paris, pour 1819.

† Hulme, Phil. Trans. 1810.

empla nihil monstrant, nisi aliquod compositum activum existere: sed haud absimile est pathologos posthac aliquod posse detegere principium, quod causas adhuc ignotas morborum in apricum proferat. Ea quæ jam posita sunt, ut mihi videtur, satis monstrant eorum sententiam, qui morbum attribuunt irritationi simplici, minime sufficere ad phaenomena illustranda, quæ, in eo observantur, ita ut oporteat aliam aliquam potestatem quærere, quæ melius ad effectum valeat. Quæ quidem, si plerisque credimus auctoribus, in viro specifico ponitur, quod vim ejus nocivam brevi post mortem exercet, potissimum quoties lethalis exitus, ab aliqua membranarum serosarum affectione allatus est. Venenum, ad hunc effectum operam conferre, si non evincitur, verisimillimum saltem fit, ex his tribus propositis, $1^{mo.}$ Vulnera ex puncturis sæpe, prorsus eodem modo procedunt ac morbus inoculatione impertitus; $2^{do.}$ Plures homines simul atque ab eodem cadavere morbum contraxerunt; $3^{tio.}$ Magna sæpe observatur similitudo inter hujusmodi vulnera atque vulnera morsu serpentium præ-

cipue Cobræ de Capellæ creata. Plures præterea sunt res cum hoc malo connexæ quæ, hoc principio concesso, multo facilius et plenius, quam quovis alio modo explicantur. Quomodo rationem reddere possumus frequentiæ hujus morbi, per 7 vel 8 annos jam elapsos, si negamus aliquod principium morbiferum operam ad id contulisse simul cum aucto cadavera explorandi studio, quod morborum cognitionem tantopere auxit. Si irritatio sola esset causa huic effectui par, non dubitandum est, quin eadem exitus æquè lethales, ac hodie, multos dehinc annos induxerit. Occasiones cadavera secandi æque frequentes, quin et forte frequentiores quam hodie; quum impedimenta, quæ nunc incumbentis medicinæ progressum retardunt in scientia acquirendaquæ ipsum totius disciplinæ fundamentum est, non nisi serius usque eo increverint. Haud exiguam attribuerunt potestatem ignotis aëris atmospherici conditionibus ad creandam hujus morbi hodiernam frequentiam; et Dr. STOKER opinatur tantam analogiam existere inter hodiernam hujus mali sævitiam, atque auctam symptomatum Typhi vehe-

mentiam, ut, prima facie pateat, morbos eosdem esse communemque originem possidere.* Hæ causæ praedisponentes, si sint præcipuæ, diu ante nostra tempora effectum præstare eundem debuerunt. Sed vix nobismet persuadere licet, majores nostros potuisse non animadvertere morbum, progressu tam insignem, exitu tam lethalem. Nonne magna proclivitas, in hoc malo se extendendum attribui potest depressioni magnæ, quæ a viro genus nervosum atque vasculosum afficiente oriatur? Nonne referre oportet axillæ affectum, ad actionem veneni specificam quum ut, sæpe res se habet, nullus nexus eam inter et primam injuriam detegi possit? Utcumque igitur alii atque alii auctores ingenio atque facundia usi sint ad suadendum hunc morbum uni causæ, quæcunque ea sit, attribuendum esse, in medio ire, in hoc exemplo, ut in tot aliis, proprius fortasse ad verum medicos ducet. Concedetar igitur idiosyncrasin corpus proclive aliquando reddere ad vulne-

* Observationson Pathology, Med. Phys. Jour. vol. 54.

rum a cadaveris sectione effectus, attamen verisimile est præcipuam causam virus esse, quo sæpe vis nervosa tantopere opprimitur ut haud raro lethales afferuntur congestiones.

CURATIO.

Omnis investigationis medicæ propositum est, ut ad quædam fixa atque principia definita perveniamus, e quibus justa medendi ratio eliciatur. Ad hanc finem neque ad aliam quamvis tantopere prodest causas cognoscere quæ quosdam gignunt effectus, conditiones pathologicas texturarum, quæ potissimum implicantur, resque innumeras quæ hæc commutare variaque reddere possunt. Ex longo morborum catalogo haud paucos seligere impromptu est, in quibus investigatio diuturna atque sedula tandem haud exiguam et certam rerum harum scientiam attulisse, et in quibus ideo medendi ratio nunc absolvitur tanta prosperi exitus spe, quantam nihil nisi certa hujusmodi cognitio inspirare potest. Affectio, de qua agi-

tur, quam vera ea sint, satis monstrat. Jam satis positum est haud multa eorum, quæ ad ejus historiam et causas pertinent, hactenus aperta esse, non igitur mirum est rationes medendi admodum diversas propositas esse; earum profecto multæ invicem contrariæ sunt. Ut præcipuæ fallaciæ causæ indicentur unde hæc medendi rationum diversitas orta sit, et ut monstretur ea medendi ratio, quæ hodiernæ hujus morbi scientiæ maxime consentanea est, nunc memet accingo.

Prophylaxis.—Si virus in hoc morbo existere negatur, patet non oportere eos in secandis cadaveribus, versatos, magnam adhibere curam, qui se secunda frui valetudine putent. Sed, perpensa tota scientia, quæ hac de re collecta est, affirmare licet hujusmodi negligentiam, non modo admodum periculosam fore, sed sæpe lethiferam. Cunctos igitur oportet in anatomia aut pathologia versatos iis præceptis parere, quæ experientia docuit, aliquam saltem potestatem possidere ad hoc malum prohibendum. Infundere Nitratis Potassæ solutionem,

quod SHAW præcepit, cadaveribus ad anatomiam discendam usurpandis, haud dubie utile erit. Ille auctor affirmat omnia exempla, quæ per tres quatuorve annos elapsos, vidit, orta esse in earum partium sectione, quæ, ea solutione, non tutæ redditæ fuerant, Manus inungere aliqua materia unctuosa, quod multi præcipiunt, nunquam negligendum est. Quin et manicis uti haud inutile erit, in hominibus ad morbidas impressiones suscipiendas pronis.

Curatio Topica. Vulneri ipsi alia aliis medicis imposita sunt, qualia viri progressum sisterent. Maxime efficax curatio topica haud dubio excisio est, sed magis severum est, quam ut sæpe adhibeatur, et præterea alia mitiora sæpe æque efficacia fuisse videntur. Cucurbitulam admovere CELSUM jubet,* et recentiora Dris. BARRY experimenta ostendunt quantum id instrumentum venenorum transmissionem in corpus retardet. Exsugere vulnus, quod

* Celsus, lib. v. cap. 27.

tam vulgare est remedium, haud dubio sæpe efficax est, etiamsi dubitandum est an prorsus tutum, præcipue si aliqua est membranæ mucosa in ore abrasio. Partem sedulo lavare aqua cum sapone æque utile erit et multo magis tutum. Ad venenum extinguendum varia caustica adhibita sunt: Nitras Argenti, quia impromptu est, plerumque applicatur, neque aliud habet incommodum nisi quod tardius actionem praestat. Ex actione celeri Aquæ Ammoniæ magnam accquisivit famam adversus serpentium morsus, et in exemplo, de quo agitur judicandum optimum prophylacticum fore. Alia caustica, quæ aliquando usurpantur, sunt Acidum Nitricum, vel Muriaticum, Aqua Potassæ. Studium tamen, quo pathologici et anatomici rem prosequuntur, sæpe prohibet ne breve spatium, quod ad hæc applicanda postulatur, concedant. Dr. Colles, igitur, suadet digitum immergere in Oleo Terebinthinæ ad id juxta Anatomicum posito. Mora haud magna erit, et irritatio inducta, ut illi placet, potest repugnari infectionis potestati, aut modum inflammationis in vulnere commutare. Liga-

gaturam firmam brachio imponere nonnunquam utile est, quia potest inflammationis extensionem in primo vulnerum genere prohibere, vel in secundo, quia veneni absorptionem compescit. Dr. DUNCAN profecto sibi suadet vitam hoc modo conservatam esse. Nimis multo exempla tamen testantur quam minime his modis confidendum est: maxime igitur interest, ut comperiatur quæ topica admovenda sint, quum jam symptomata localia sævissimam sibi assumpserint formam. Ex morbi historia primo statim aspectu videretur, vix locum opinionibus diversis præberi. In exemplis generis primi totum brachium magnopere tumet, cum saturo rubore et dolore magno; in exemplis generis secundi, dolor etiam, si fieri possit, adhuc magis excruciat, atque, sectis partibus, haud ambiguæ inflammationis notæ telæ cellulosæ in conspectum veniunt. Hæc symptomata per se considerata, nulla mora, videntur generalem sanguinis missionem indicare, vel saltem curationem topicam diligentem per hirudines atque refrigerantes lotiones. Ratiocinationes ab historia hujus mali tractæ suadent aliquid, in hoc

exemplo, prorsus diversum ab inflammatione simplici, et experientia, quæ ratiocinatione multo tutior est dux, docere videtur commodum a depletione topica obtinendum in ambiguo esse. Nulla exempla adhuc tradita ostendunt ultra disputationem hirudines admotas inflammationem retardasse, multo minus eandem compescuisse. Respondeatur tamen hæc argumenta parum valida, nisi pateat hirudines admotas revera nocuisse, et in iis exemplis, quibus admota fuerint, malum adeo esse vehemens, ut nulla remedia topica cujuscunque generis aliquid prodesse potuissent. Non facile profecto est monstrare depletionem topicam aliquid detrimenti momenti magni fecisse. Confugiendum est ad causas et morbi historiam, quæ quod ad earum attinet naturam, depletionem prohibere videatur, et etiam considerare oportet hirudines admotas non nisi dolorem pro brevi tempore levando, prodesse. Hæc etiam sufficiant fortasse ad nos inducendum alia remedia tentare, quæ nullum afferant periculum. Ii qui, maximo studio, hirudines prohibent, affirmarunt magnam irritationem, quin et ul-

cerationem hinc orta esse, sed quum horum malorum utrumque sit rarum, nihil obstat, quin admoveantur modo aliquid commodi inde orturum esset. Dr. DUNCAN arbitratur cutis inflammationem posse pro secundo omine haberi, quum inflammationem ab internis majoris momenti partibus vocare possit. Viro eximio SHAW debetur ut topica remedia, quæ ille usque eo jubet, idoneo modo tentata sint. Illo auctore, Lintea expressa a lotione, quæ ex partibus Tincturae opii et solutionis Acetatis Plumbi æqualibus constat, applicanda sunt, tæniis, circa digitum atque majoribus frustris per manum et totum brachium. Brachium in pulvino tenendum est, manu aliquanto altius posito quam humerus. Validi effectus sedantes hujus lotionis sæpe haud parum utile fuisse videntur, et ægri ipsi frequenter eam cataplasmatis anteponunt, quorum pondus irritationem augere potest. Fatendum tamen est in multis exemplis nulla remedia topica, neque hirudines, neque lotiones aliquid commodi perpetui afferre, et malum parum impeditum procedere usque dum suppuratione

terminetur. Ante hanc terminationem tum ægrum, tum medicum fluctuationis sensus sæpe decipit; et hic sæpe lanceolam dirigit in partem, vel scalpello eandem aperit in qua existere putatur, sed nihil emittitur. Quod tamen non sine commodo est, nam partes, admotis cataplasmatis, aut aquæ calidæ vapore brevi suppurationem eunt, et exitus ad evacuationem humoris collecti jam paratus est. Quamprimum fluctuatio manifesta percipitur, omnes consentiunt quod ad curationem attinet. Incisiones profundæ ab O'HALLARAN et HUTCHISON præceptæ, et fere cunctis peritioribus chirurgis, præbent solum modum, quo natura onere liberari potest, quod adhuc magis vitæ vires deprimit.

Curatio Generalis.—Si id quod jam de causis et morbi historia dictum est, verum esse pateret, non opus esset pluribus verbis in disserendo de curatione generali. Illi qui pro venæsectione liberali contendunt parum attendisse videntur ad vulnerum, de quibus agitur, causam probabilem, atque ad constitutionis

conditionem, in qua incidunt. Exempla generis primi raro, ut constat inter auctores, oriuntur nisi quædam causæ corpus infirmando idem pronum reddiderint. In exemplis generis secundi satis patet aliquod aliud principium adjectum esse, quod sæpe vitam exhaurire possit adjutum nulla priori corporis conditione insolita. Fallacia ex eo est, quod in quibusdam symptomata accesserunt, quae, plenam sanguinis missionem postulare vulgo putantur dolor, nempe, capitis, vultus rubor, spiritus laboriosus atque pulsus frequens. Sed quantumcunque haec symptomata conjuncta in aegro uno evacuationem postulare soleant, modo multum diverso a vulgari opinione, sed naturæ morbi magis consentaneo, explicari possunt. Pulsus accelerari potest, (et cuncta rem ostendunt ita se habere in hoc malo) irritabilitate morbidâ in aliis, timore in aliis. Rubor vultus et capitis dolor, ut bene notum est, sæpe a timore aliisque affectibus deprimentibus oriuntur. Spiritus labor haud dubie potissimum pendet a conditione morbida præcipuorum musculorum, qui ad respirationem conferunt.

Quam raro autem symptomata adsunt, qualia procul dubio testentur diathesin inflammatoriam urgere. Multo sæpius vultus pallet, quin et cadaveri similis, pulsus citus sed vacillans atque luctuans, debilitas est sæpe ad syncopen progressa. Summum corpus postea quasi albefactum videtur, spiritus laborat cum internæ congestionis symptomatis. Ad considerandum venitur, qui modi accommodati videntur, ad æquilibrium sanguinis circuitus reddendum? An aliquo modo verisimile est id, sanguinis detractione faciendum esse? Ad sanitatem restituendam necesse est ut natura certam mutationum seriem gignat; anne igitur verisimile est earum progressum accelerari posse, quantitatem ejus humoris imminuendo, quo solo hæ efficiendæ sunt? Porro non est conjestio solita, tantum, sed cum depressione nervosa conjuncta adeo insigni ut evacuationes, ut prima facie videtur, nequeant non nocere. Si licet ad analogiam confugere ad exempla generis secundi sævissima illustranda, effectus morsûs Cobrae de Capello in argumentum veniunt. Multa ex symptomatis generalibus ad-

modum similia sunt, eadem sunt conjestionis internæ testimonia, et corporis sectio similes mutationes morbidas ostendit. Attamen ne maxime studiosus paradoxi ausus sit affirmare, opportere in his exemplis sanguinis circuitus æquilibrium reddere venæsectione. Ratiocinatio igitur sola in dubium fert sanguinis missionis utilitatem, et si ad auctores res referatur, alienum esse confirmant. Abernethy ait, "with respect to blood-letting, I may add, I do not think we are warranted to bleed in cases of irritative inflammation, because these maladies are indicative of weakness, and likely to conduce as a consequence to a greatly augmented debility."* Shaw in hac re peritissimus ita dixit, "I maintain that the symptoms are such as to indicate stimulants and narcotics rather than depletion." Dr. A. T. Thompson, affirmat effectus curationis stimulantis in seipso, purgantibus validis postea adhibitis, haud dubio utilissimos fuisse; et insuper adjecit. "My friend Dr.

---

* Butter on Irritative Fever, p. 207.

Granville has found it equally successful in several cases which have since occurred and come under his care."* Si necesse esset impromptu est plures citare auctores ad probandum plerosque medicos eandem sentientium iniisse. Aliquis putet comparationem exemplorum, quæ tradita sunt, facile posse hanc interimere litem, sed pauciora sunt, quam ut justum præbere fundamentum possint, in quo strui potest curatio. Sed si licet aliquid ex hoc fonte trahere; nonnullorum maxime insignium exemplorum exitus, curationi stimulanti favere videtur. Haud profecto difficile esset haud exempla pauca proponere in quibus sponte quasi mente succurrit stimulantia potius quam evacuantia postulata esse. Si simul cum his ad memoriam revocamus omnia quæ de venæsectionis effectibus nota sunt; non alienum videtur judicare curationem stimulantem hujusmodi vulneribus accommodatam esse. Nostris temporibus, non opus erit argumentis, quantum

---

* London Medical Repository, April 1825.

ii, qui, cæteris exclusis, curationi uni se continent, errent; neque medicum hodiernum decet negare, exempla generis primi oriri posse cum tanta diathesi phlogistica, æque ac exempla generis secundi quæ adeo vehemens reactio sequi potest ut postuletur curatio antiphlogistica. Ea lege generali excipiuntur, neque ex iis objici jure potest medendi rationi jam positæ. Quoties male fit ut haud ambigua inflammationis signa organi interni sese ostendant, ad venæsectionem confugiendum est, quantumcunque sit periculum in eo remedio. Plerique ægri, nisi fallor, mallent venæsectione necari quam dediti morbi viribus mori, in quo spes sanitatis alio modo reducturæ tam minima est. Tempus quidem præteriit in quo alienum putabant remediis antiphlogisticis et stimulantibus simul uti. Non desunt argumenta multa quæ probant hæc duo remediorum genera posse sæpe tuta conjungi, sed etiam, ex his conjunctis, optimam medendi rationem obtineri. Concedendum est in exemplis de quibus nunc agitur, sæpe necesse esse usque eo utroque genere remediorum uti, ut prognosis fiat maxime

infelix. Stimulantia, quæ maxime accommodari videntur ad exemplorum generis secundi curationem sunt volatilia. Vinum, quin et Alcohol Gallicum ; a quibusdam Ammonia aut Medicamentum ex Camphora atque Capsico compositum anteponitur. In generis primi exemplis diætam oportet esse solito magis lautam, cum vino conjunctam ; et quum primum brachium non motu læditur, præcipiendum eos quam maxime divo sese objicere. Spes utpote stimulans haud exiguæ potestatis concilianda est. Vix necesse est ut præcipiam stimulantia non diutius, quam opus fuerit, sumenda esse et gradatim imminuenda. Si symptomata ex eorum usu ingravescere videntur, intermittenda sunt, sed cuncta suadent rem non ita se habere, nisi in exemplis raris, quæ jam excerpta sunt. Ab illis qui Stimulantia jubent, cum his narcotica conjungere et præcipue Opium strenue præcipitur. SHAW qui potissimum hanc curationem suadet, non modo magnam ejus copiam laudat, in generis secundi exemplis ; sed præcipit in generis primi exemplis, ad initium, ægros Tinctura Opii et Cerevisia valida fere stupefaciendos esse.

Quantumvis justa sit theoria, ex qua hæc proposita sunt medicamenta, eorum usus videatur longe ultra modum justum esse. Omne commodum, quod ex his expectandum est certe obtineri potest, etiamsi ægri non fere stupefiant. Consilia sunt ut constitutionis atque generis nervosi irritationem sedemus, et ut diaphoresin generalem concitemus. Nullum ex Opii præparatis magis videtur, hanc ad rem accommodari quam Pulv. Ipecac. Comp. Alvus soluta ut decet, servanda est ; sed non constat aliquid purgatione iterata ad morbum fugandum conferri.

FINIS.